

~~12381~~  
~~Bo 540~~

Bay 385  
no. 13

7686

Dritter Jahresbericht  
 des städtischen  
 Kathol. Gymnasiums zu Bentzen o/s  
 für das  
 Schuljahr 1868—1869,  
 durch welchen zur  
 öffentlichen Prüfung aller Klassen  
 und zur  
 Schluß-Feier am 16. und 17. August  
 ergebenst einladet  
 Dr. W. C. Kayser,  
 Direktor.


Inhalt:

- 1) De Socrate, qui est in antiqua comoedia, disput. Dr. Joh. Peters.
- 2) Schulnachrichten. Vom Direktor.

Bentzen o/s, 1869.

Buchdruckerei und lithographische Anstalt von Moriz Böhm.

Printed in Germany



175-1

1

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

ALPHABETICALLY BY AUTHOR

1880-1889

ALPHABETICALLY BY AUTHOR

1890-1899

1900-1909

1910-1919

1920-1929

1930-1939

1940-1949

DE SOCRATE,

QUI EST

IN ATTICORUM ANTIQUA COMOEDIA, DISPUTATIO.

---

SCRIPSIT

JOH. PETERS, PHIL. DR.

---

DE SOCRATE,

QUI EST

IN ATTICORUM ANTIQUA COMEDIA, DISPUTATIO.

AVCTOR

JOH. PETERS, PHIL. DR.

Quum abhinc undecim annos de iudicio illo, quod Aristophanes in *Ranis* de tribus Graecae tragoediae principibus fert, ita quaerere instituissem, ut, quam vim et comoediae antiquae ratio ac natura et rei publicae conditio in iudicium illud exercuissent et quatenus Aristophanes cum aequalium iudicio conspiraret vel dissentiret, paullo uberior explanare studerem 1), fieri non potuit, quin etiam Socratis Aristophanei, qui haud parvi momenti est ad *Ranarum* fabulae indolem atque naturam recte intelligendam, identidem rationem haberem. Quamobrem etiam nunc oblata scribendi occasione ad illa studia diu intermissa redire placet, utque olim in Euripidem potissimum poetarum comicorum inquisivi, sic nunc de Socrate accuratius quaeram. Quem philosophiae tamquam parentem quum alii illorum temporum comici, tum imprimis Aristophanes fabula illa, quae inscribitur *Νεφέλαι*, exagitavit atque perstrinxit. Quid igitur mirum, quod de omnibus Aristophanis fabulis haec una maxime summorum virorum industriam ingeniumque exercuit? Fuerunt, qui fabellis commenticiis, quae apud veteres Graecos explicatores extant, parum diffisi Aristophani sordidissimas, quibus ad Socratem vehementissime ridendum inductus esset, causas subjicerent, alii Socratis persona longe alios homines rideri rati Socratem ipsum e Nubibus tollere voluerunt, alii in Socratem crudelissime saevientes, quomodo omnia opprobria ab Aristophane in philosophum summum jacta in Socratem quadrarent, subtilius quam verius demonstrare suum esse existimaverunt; perpauci tantum id ex antiquae comediae natura atque indole explicare conati sunt. Quo factum est, ut plerique rationem mancam quodammodo atque curtam vel de Socrate vel de Aristophane iudicandi sequerentur neque, quod ad hanc rem attinet, a comico, qui quidem suo jure res non ab omni parte ponderat, ita multum differrent. Quamobrem hac scribendi opportunitate sic utamur, ut primum doctissimorum hominum sententias singulas aut certe praecipuas enumeremus, deinde vero quidnam nobis de hac re non solum difficillima, verum etiam gravissima statuendum esse videatur, paullo accuratius exponamus.

Equidem nugas illas levissimas Aeliani, qui Aristophanem ab Anyto et Meleto corruptum *Nubes* scripsisse ementitur 2), non magis moror, quam fabellas illas veterum interpretum, e quibus unus, qui *Nubes* in quemvis philosophum fraudulentum vanisque studiis deditum (*κατὰ παντός φιλοσόφον μεταρσιολέσχον καὶ ψευδοσίφον* 3)

1) Aristophanis iudicium de summis suae aetatis tragicis. Monast. 1858.

2) Aelian. Varr. Hist. II, 12. Diog. Laert. II, 38.

3) cf. Argum. IV. Ran.

scriptas esse contendit, non somnare videtur. Neque Wielandius 1) et Wiggersius 2), qui originem Nubium fabulae a maledicendi quadam lascivia Aristophanis et malitia nescio qua repetendam esse censent, quidquam omnino dixisse putandi sunt, quamquam ad eorum sententiam nuperrime etiam Landsbergius 3) accessit, qui Aristophanem, quod Socrates scurras, sanniones, aleatores gravissime reprehendisset, exacerbatum Nubes ulciscendi causa scripsisse sibi persuasit, qua sententia nihil Aristophane indignius fingi potest. Fr. A. Wolfius 4) autem aliam quidem viam inivit, sed qua difficultatibus minime expediamur. Statuit enim, fabulam Nubium in Socratem quidem scriptam esse, minime autem eum Socratem, quem ex Platone et Xenophonte noscamus, qui investiget animos hominum eosque virtutis amantes reddere studeat, a comico rideri, sed Socratem physicum, qui eo tempore, quo Nubes fabula data sit, certis philosophorum disciplinis maximeque physicis tanto studio deditus fuerit, ut inania multa scrutaretur et alios ad res physicas explorandas excitaret. At dubitari nequit, quin Socrates Ol. LXXXIX a. 1, quo anno haec fabula acta est, a physicorum doctrina, a qua juvenis fortasse non omnino abhorrebat, se abdicaverit et jam auctor novae tamquam disciplinae fuerit 5). Magis etiam, quam Wolfius, ab Aristophanis partibus stant Henningsius atque Roettscherus, quorum uterque disciplinae Hegelianae addictus est. Contendunt enim, Socratem in Nubibus plane talem induci, qualis fuerit reapse justasque eum poëtae comico poenas dedisse, quod eandem sentiendi et agendi rationem subjectivam, ut philosophorum more loquar, atque sophistae secutus sit, adjiciunt, haud magnum discrimen inter Socratem et sophistas intercedere 6). Cui sententiae patrocinatur etiam Forchhammerus, qui Socratem majoribus sane quam Aristophanes et ii, qui philosophum capitis arcessiverunt 7), opprobriis et criminibus cumulat. Jam verò fuerunt, qui existimarent, non Socratem rideri in Nubibus, verum sophistas, quibus comicus deformem jocularumque Socratis personam imposuisset, quam sententiam quum jam olim Lessingius professus esset, Reisigius 8) assensione sua comprobavit, qui quidem magis discipulos quosdam Socratis et familiares, omnium maxime vero Euripidem perstringi, quam Socratem ipsum, statuit, quasi Aristophani non satis fuisset Euripidem in Autolyco, Erechtheo, Polyido, Phoenissis, Acharnensibus, Thesmophoriazasis, Pace maximeque Ranis fabula palam ridere. Etiam G. Hermannus Aristophanem familiaritate potissimum illa, quae inter Socratem et Euripidem intercessisset, permotum Socratem et praecepta ejus disserendique rationem risisse, ut et Socratem et si quis alius mores juventutis simili corruptela depravaret, poena dignos esse ostenderet, aliis persuadere studet 9).

1) Att. Museum P. II, p. 12, III, 82, 98.

2) Wiggers, Socrates als Mensch, als Bürger und als Philosoph, pag. 112.

3) Ueber den Socrates in den Wolken (Philologus VIII, p. 94 seqq.).

4) Vorrede zu den Wolken, pag. 14 al.

5) cf. Plat. Apol. c. 3 seqq.

6) cf. Roettscher, Aristoph. und sein Zeitalter, p. 247, 309, 317.

7) cf. Forchhammer, Socrates und die Athener oder die Gesetzlichen und der Revolutionär, p. 24, 40.

8) Praefat. ad Nub.

9) Praefat. ad Nub. p. XXX, XXXV.

Aliam viam rationis Nubium perspicendi aperuit Welckerus 1). Qui quum exposuisset, Aristophanem non cum Socrate ipso, sed cum causa, cujus patronus existeret, dissidere, Suevernius 2) ejus vestigiis insistens comicum Nubibus fabula novam juventutis educandae et artibus sophistarum instituendae rationem, quae cum ratione rei publicae gerendae plane immutata acerrime cohaereret ideoque jam Daetalensibus fabula acerbissime reprehensa esset, ridere voluisse arbitratus est, quo fit, ut Phidippidem in Alcibiadem, in illum Periclem Strepsiadem istum convertere non dubitet. Poëtam id egisse, ut juventutis corruptelae causas explanaret (C. Fr. Hermannus 3) et Rankius 4) affirmant, Teuffelius vero comicum Socratis persona usum esse, ut disciplinam sophisticam rideret, docere studet 5). Singularis sententia est Fritzschi, viri doctissimi et de Aristophane optime meriti; qui quum putaret, Aristophanem odio incensum fuisse in Socratem, ut in amicum Chaerophontis, Euripidis laudatorem, maximeque praeceptorem Alcibiadis, Critiae, Theramenis, comicum Ol. LXXXIX a. 1. archonte Isarcho Nubes composuisse priores contendit, qua fabula nebulones istos Dionysiis exagigaret, neque illas quidem Nubes, quas a posterioribus omnino diversas fuisse statuit, in Socratem scriptas esse, sed tantummodo in eos, quos diximus Socraticos; quum vero ea fabula tantopere displicuisset, ut Aristophani non modo Cratinus, senex confectus, sed etiam Amipsias, frigidus poëta, ab iudicibus anteponeretur, hanc tantam plagam in magno hominum conventu acceptam moleste passum Aristophanem alias Nubes docendi consilium cepisse, quibus veterem ignominiam exstingeret; interim comici cum Socrate inimicitias crevisse, quare comicum quinque circiter annis post Nubes plane alias, quae ad hanc aetatem pervenissent, scripsisse, quibus non jam perditos quosdam adolescentes perstringeret, sed ipsum magistrum acriter accusaret diceretque Socratem sophisticam esse, pecunia discipulos fraudare, leges violare, patrios deos contemnere, juvenes corrumpere; postea autem quum intellexisset, quantam injuriam optimo viro illaturus fuisset, intercedentibus utriusque amicis, poëtam cum Socrate reconciliatum hanc fabulam non solum docuisse, sed ne absolvisse quidem 6). Qua ratione originis Nubium interpretandae haud scio an Fritzschi, ut Aristophanem ab injuriis adversariorum defendat, comicum pejus tractet, quam adversarii ejus. Atque tantum abest, ut Aristophanes Socratem in prioribus Nubibus minus cavilletur, quam in posterioribus, ut in his multo mitius in philosophum consuluisse putandus sit; Fritzschi enim, quae ratio intercedat inter priores Nubes et posteriores parum recte dijudicare videtur, id quod postea me probaturum esse confido.

Jam vides, in quam varias ac diversas sententias viri doctissimi discedant, quod ad Nubium rationem atque indolem attinet. Quid igitur de hac re statuendum est? Equidem non dubito contendere, Aristophanem Nubes in Socratem ipsum scripsisse; adjicio poëtam licentia comicis concessa in Socratem eodem jure usum esse, quo

1) cf. Welcker: Arist. Nub. (interpr. Germ. I.) p. 190, 194, 213.

2) Suevern, Arist. Wolken, p. 22, 30, 68.

3) C. Fr. Hermann de Arist. Nub. in Jahn. Annal. Suppl. II, f. 3 a 1833, p. 46.

4) Ranke, Arist. vita, p. 427 seqq.

5) Die Wolken des Aristophanes. Erkl. v. Teuffel, p. 8.

6) cf. Fr. V. Fritzsche: Quaest. Arist. p. 105, 107, 120, 153.

ipse in Cleonem Equites fabulam, Ranas in Euripidem, in Athenienses litigiosos et judicandi cupidos Vespas, Eupolis Maricantem in Hyperbolum scripsit. Commoveor, ut ita judicem, primum indole atque natura antiquae comœdiae, tum persona Socratis ipsa, qua in Nubibus utitur, denique ratione, quae intercedit inter Nubes priores et posteriores. Quamobrem, ne de Socrate comicorum perperam judicemus, comoediae naturam mente animoque lustremus.

Comici est vitam humanam ejusque vitia ita imitando effingere atque exprimere, ut, qui spectatum venerunt, ea re delectentur. Quamobrem comicus aut tales res spectatoribus proponat necesse est, quae jam per se speciem praebeant ridiculam, aut res, quas inducit, ita sunt depravandae et ad ridiculum vertendae, ut hac depravatione jocus risusque moveatur et actio praeter opinionem mira fiat. Tantum igitur abest, ut comicus ea, quae inducit in scenam, ex omnibus partibus juste et aequè consideret atque ponderet, ut omnes res, quas acturus est, ad ludibrium vertat et per superlationem mirifice adaugeat et exaggeret. Naturam igitur rerum quasi mancam et curtam spectatoribus proponit, neque illa, quae ludit, argumentis ex philosophia petitis probat, id quod ab omni genere poësis, quae res non abstractas, ut philosophorum verbis utar, sed tamquam concretas inducit, alienum est. Ex tota enim indole fabulae, quo jure comicus res ita agat, ut eas proponit, perspicitur.

Res igitur, ut jam antiqui statuerunt, maxime eo fiunt comicae, quod, quae ad animum mentemque pertinent, ea sensibus quodammodo subjiciuntur. Itaque poëta comicus omnia, quae sunt animi menteque intelleguntur, ita detorquet, ut sub oculos spectatorum subjiciantur ab iisque quasi manu prehendantur 1). Cum igitur comicus unam potissimum cujusque rei, quam agit, rationem ostendat, alias illius rei rationes parum respiciat, non est mirum, quod omnia, quae comicus docet, nisi ex una parte non sunt vera fideque digna; neque comicus id agit, ut sibi in omnibus rebus fides habeatur. Ut res humanas depravando imitatur, sic ei etiam personarum, quas in scenam inducit, imagine detorta ac depravata opus est. Quare personas, quae partes agunt, non modo distortionem et depravationem corporis ac deformi motu ridiculas lascivia jocosum ridentium circulis proponit, sed etiam mores vitamque personarum partes agentium ex natura atque indole comoediae fingit. Quamobrem comici singula vitia personarum per superlationem quandam valde augent et exaggerant omniaque ad illa vitia referunt, ut personae illae comicae ridiculaeque fiant. Patet igitur, comicum personas singulasque vitae conditiones suo jure mirum in modum detorquere.

Omnia, quae de natura comoediae exposuimus, etiam ad Atticorum antiquam comœdiam pertinent. Quae quum licentiae eos, qui pompam Bacchi agentibus obvii erant, illudendi originem deberet, ipsos cives in personas comicas convertere coepit. Jam vero quum Periclis aetate, qua comoedia Cratino comicorum principe florere

1) Optime Plato naturam comoediae perspexit, qui in Symposio Aristophani fabulam illam jocosam de rotundis hominibus, qui, quum Juppiter singulos in binos dissecuisset, iterum in unum quasi corpus coalescere studerent, facete tribuit, ut comicus suo more vim amoris talem esse significaret, quae efficeret, ut homines, qui incredibili quadam vi ad se invicem raperentur, inter se conjungerent. cf. Plat. Symp. c. 16—20. Susemihl: Ueber die Compos. des Platon. Gastmahls, Philol. VI, p. 196 seqq. Deinhardt: Ueber d. Inhalt u. Zusammenhang von Platons Symp. p. 10, 11. Bromb. 1865.

coepit, res publicae Atheniensibus maxime essent curae et conditio litterarum vitaeque privata cum republica arctissime cohaerent, fieri non potuit, quin comoedia maxime ad rempublicam spectaret et nobilissimi comici, qui sunt Cratinus, Eupolis, Aristophanes, Hermippus, Crates, Teleclides, Pherecrates al. omnia fere ad rempublicam referrent. Ut igitur comoedia Romana, novam comoediam Atticam secuta, certas quasdam et definitas personas, quarum vitia ad cacumen quasi elata sunt, veluti parasitos, servos voraces, pappos simplices, milites gloriosos, leves juvenes, meretrices sibi comparavit, sic comici veteres eos homines, qui in civitate summa auctoritate usi sunt, in personas comicas ludibriaque verterunt. Jam quum eo tempore tota reipublicae administrandae ratio, conditio litterarum, educatio juventutis mutarentur neque tamen multitudo mutata rerum conditione confestim assueferi posset, comici, qui opinionem iudiciumque publicum pronuntiare putandi sunt, omnibus novis rebus vehementissime repugnabant et morum majorum (*τῶν Μεγαθρονομαχῶν*) erant laudatores 1). Quamobrem non solum pravi duces populi et harioli ac fatidici a comicis vehementissime exagitantur, sed etiam omnes, qui a moribus multitudinis aversi in aliquo vitae publicae et privatae genere novis rebus favebant, quo factum est, ut etiam ii, qui in poësi et arte musica novam rationem sequerentur, comicis poenas darent gravissimas. Causam autem omnium rerum novarum comici a philosophis, qui sophistae appellari solebant, suo jure repetebant; qui quum artem rhetoricam et dialecticam docerent, de rebus physicis et divinis, de ratione civili et privata dissererent, denique omnibus fere litterarum generibus operam navarent, in totam reipublicae et vitae privatae conditionem paullatim mutandam magnam vim exercuerunt 2). Neque vero fieri potuit, quin ea studia nova, quae rationi agendi ac sentiendi a majoribus traditae omnino contraria erant eamque evertabant, multitudini invisae essent. Quid? quod Anaxagoras, quem Pericles et prudentissimus quisque libentissime de rebus naturae obscuritate involutis disserentem audiebant, vix supplicium effugit et Athenis abire coactus est? 3) Quum igitur comici opinionem vulgi pronuntiant neque ipsi curent, quid veri in praeceptis ac doctrina philosophorum insit, mirum non est, quod philosophi comicis aptae, quae rideantur, personae sunt. Noli tamen putare comicos id egisse, ut, quae singuli philosophi praeciperent ac docerent, accuratius cognoscerent, quum eorum esset praecepta philosophorum, quae in pejus detorta in ore vulgi erant, ridere. Quid discriminis sit inter verum philosophum et sophistam ignorant. In numero igitur sophistarum habent omnes, qui novas artes, quibus juvenus informetur, docent vel a ratione moribusque multitudinis recesserunt. Ita omnes oratores, quod ab artibus dialecticis non abhorrent, a comicis sophistae appellantur, Euripides, poeta *δημάτων δικανικῶν* 4), et Agatho 5) ab Aristophane ut sophistae perstringuntur. Philo-

1) cf. Aristophanis iudicium de summis suae aetatis tragicis p. 30—36.

2) cf. Fischer: Lebens- und Charakterbilder Griechischer Staatsmänner und Philosophen nach Grottes Griechischer Geschichte, II, p. 200—251.

3) cf. Alexi: Anaxag. und seine Philosophie, nach d. Fragm. bei Simplic. ad Arist., p. 5. (Progr. Neu-Ruppin 1867.)

4) cf. Arist. Ran. v. 774, 955 seqq. Tesmoph. 1055—1200. Pac. 534, fr. 512 al.

5) cf. Thesm. v. 40—165.

sophi autem jam eo ridiculi sunt visi, quod vitae ratione habituque a consuetudine discedebant. Res vanas atque inutiles cum multitudini, tum vero comicis petere videntur, quamobrem a comicis *μετεωροκοπιῆς, μεταρσιολέσχαι, μετεωρολέσχαι, μετεωροσοφισταί, μετεωροφένακες, μετεωρολόγοι, ἀερολέσχαι, ἀδολέσχαι* 1) vocantur 2). Desides homines et umbratici putabantur, qui studiis pravis civitati maximae essent pernicietiae et vulgi de dis opinionibus eversis novos deos inducerent moresque juvenum ita corrumpere, ut legibus institutisque patriae neglectis ad luxuriam, mollitiem, omnem nequitiam adducerentur et subrostranei veteratores ac nebulones litium essent cupidi.

Vehementissime Cratinus in *Πανοπισαῖς* fabula Hipponem et alios philosophos irridet, quippe qui omnia investigare et perspicere velint; ridicule iis bina capita et innumerabiles oculos tribuit iisque exprobrat, quod mulieres quidem oderint, sed foedissimo puerorum amori dediti sint 3). *Μεταρσιολέσχαι* appellantur Anaxagoras et Empedocles in incerti auctoris Sisypho (v. schol. ad Nub. 389). Praecepta ac decreta Anaxagorae et Diagorae cum ab aliis comicis, tum ab Aristophane saepissime ridentur 4). Eodem modo Metro, qui quum mathematicarum artium peritissimus esset, cyculum illum *ἐννεακαυδεκάτην*, ut Diodorus auctor est, Ol. LXXXVI a. 4. invenit, quoniam illae artes doctorum umbraticorum inutiles esse videbantur, ab Aristophane et Phrynico vehementer ridetur neque nominis nobilitas prohibuit, quominus in Avibus ut homo vanus et insipidus a Pisthetaero vapularet 5). Ne ab Eudamo quidem, qui rebus physicis operam navasse multumque in arte medendi profecisse videtur, Aristophanes abstinere 6). Acerbissime vero comici invehuntur in eos, qui vere proprieque sophistae dicuntur. Quum multitudini Atheniensium persuasum esset eos esse ridiculos rerum sublimium meteororumque investigatores ac garrulos nebulones, qui juvenes fallaces dicendi artes, quibus injusta causa justa fieret superior, docere studerent, comici eos saepissime ludibrio habuerunt. Ridentur ut *ἀλαζόνες* 7), qui in cogendam pecuniam ingentem (*τὴν χρηματιστικὴν τέχνην*) 8) intenti ab iis, quos fallaces suas artes doceant, mercedem (*χρήματα θανμασιὰ ὄσα* ap. Platon. Hipp. maj. 282, C.) exigant vanisque rebus occupati sint. Sic Crates in Rhetoribus, Plato comicus in Sophistis 9), Eupolis in Capris et in Autolyco eos vehementer risisse videntur 10). Gravissime vero Eupolis in Adulatoribus sophistas imprimisque Protagoram cavillatur; inducit eos

1) Dubium mihi quidem non est, quin *ἀδολέσχης* constet ex *ἀΐδιο* (*αἰδῖος*) et *λέσχης*; *λέσχης* autem, quod ex *λεγχῆς* ortum est, ad stirpem *λεγ* pertinet. cf. Zeitschr. f. vergl. Sprachf. XVI, 5, p. 364 seqq. (scr. Savelsberg). — Curtius Etymol., p. 327.

2) cf. Schol. ad Pac. v. 91, ad Nub. 224, 319, 330, Lucian. Prometh. I, 6. Plat. Apol. c. 2, 10. Phaed. c. 14, Xen. Mem. I, 2, 31.

3) cf. Meineke: Fragm. comic. Graec. edit. min. p. 35—37.

4) cf. Thesm. v. 5—25, Nub. 370—400, Av. 1072, Ran. 320. Bergk: de reliq. com. Att. p. 169 seqq.

5) cf. Arist. Av. 992—1020. J. Richter: De prosopographia Arist. p. 25. Meineke: Fragm. Com. p. 231, fr. 589.

6) cf. Plut. 884.

7) *ἀλαζονονομένους* etiam Isocrates sophistas vocat. cf. Panath. § 20. adv. soph. § 1. Plato Men. p. 80. B. Soph. 233 B, Euthyd. 294 B. Protag. 318 A. Rep. X. 600.

8) cf. Plato. Soph. 266 A.

9) Meineke l. l. p. 83, 381.

10) cf. Meineke fr. Com. p. 158 seq. p. 167 r. 41.

tamquam parasitos bona Calliae, mollissimi istius hominis, quem adulantur, abligurientes. Dicit de Protagora:

*Ἐνδοθι μὲν ἔστυ Πρωταγόρας ὁ Τήσιος  
ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος  
περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἔσθίει 1).*

Aristophanes vero in Tagenistis sophistas, quibuscum etiam Prodicus ille consociatur, juvenes corrumpentes inducit his verbis:

*Τοῦτον τὸν ἀνδρῆ ἢ βιβλίον διέφθορεν  
ἢ Προδίκος, ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις 2).*

Jam vides, comicum ne cum Prodicus 3) quidem, nobilissimo illo sophista, clementius egisse, quam cum aliis sophistis mediocribus. Alio loco Aristophanes sophistam nescio quem his verbis carpit 4):

*Ὅς τὰ μὲν ἀφανῆ μεριμνᾷ, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἔσθίει.*

Gorgiam et Philippum ridet Aristophanes in Avibus (cf. Av. v. 1694 seqq.).

Quum autem ex omnibus, qui philosophiae vacabant, Socrates maxima auctoritate uteretur isque civis Atheniensis esset, fieri non potuit, quin comici Socratis personam in scenam inducerent, qua omnia studia philosophorum riderent.

Fuerunt, qui opinarentur, comicos auctores criminum, quae in Socratem jacta essent, falsorum fuisse et eos, imprimisque Aristophanem, cum Meleto, Anyto, Lycone effecisse, ut Socrates capitis damnaretur. Id ne Socratem quidem judicasse, non modo ex Symposio, verum etiam ex Apologia Platonis apparet, in quo libro Aristophanis Nubium leviter tantum mentio fit et ita quidem, ut satis intelligas, Socratem Aristophani nihil exprobrasse nisi eum fabulas illas, quae de se circumferrentur et crimina, quibus multitudo promiscue omnes philosophos afficeret, Nubibus fabula ab oblivione vindicasse. Socrates enim postquam (Apol. c. II.) docuit, multos Atheniensibus dictitasse *ὡς ἔστί τις Σωκράτης, σοφὸς ἀνὴρ, τὰ τε μετέωρα φρονιστῆς καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἀνεξηγηκῶς καὶ τὸν ἥτιω λόγον κρείττω ποιῶν*, et c. III in eandem fere sententiam formulam juratam Meleti et Aristophanis opprobria abire exposuit, c. X. de adversariis suis adjicit: *τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν, ὅτι τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς (sc. διδάσκω), καὶ θεοὺς μὴ νομίζειν, καὶ τὸν ἥτιω λόγον κρείττω ποιεῖν*. Ex quibus efficitur, comicum fabulas illas de Socrate minime excogitavisse, sed narratiunculas illas fictas, quae in ore multitudinis erant, ridiculum in modum detortas rettulisse. Comici enim, ut supra diximus, judicium opinionemque publicam pronuntiant. Multitudinem autem Atheniensium, quae eo tempore ab omni philosophiae genere abhorrebat et singula praecepta philosophorum parum intellegebat, singulas philosophorum disciplinas confudisse et ob eam rem multas res, quae philoso-

1) cf. Meineke l. l. p. 186 fr. X, p. 187 fr. XI.

2) cf. Meineke l. l. p. 315; Quaest. Scen. II, p. 24.

3) cf. Welcker: Prodicus (Kleinere Schriften II, p. 412 seqq.)

4) cf. Meineke l. l. p. 337, fr. 61. Fortasse etiam his verbis, quae ad Tagenistas referenda sint, Prodicus notatur.

phiam Jonum, Heracliti, Eleatarum sapiebant, Socrati affinxisse neque hunc a sophistis disjunctis, quis est, quin videat? 1) Quid, quod de Socrate, donec in vivis erat, nullo tempore aliter sensit, ideoque eum, ut antea Protagoram, quem quidem fama est impietatis reum in aquam immersum esse, morte affecit? Quae diximus, quam vera sint, jam eo apparet, quod et Plato et Xenophon totos ad crimina, quae multitudo Socrati exprobravit, diluenda libros scripserunt, ut opinionem publicam mutarent. Atque Sophistae nomen Socrati 2) adhaesisse constat. (cf. Aeschin. adv. Timarch. p. 24, 33; Alciphr. Ep. I, 34). Quod naturae studium olim fortasse susceptum cito destituit, quippe quum certi quidquam in hoc genere inveniri posse desperaret, non prohibuit, quominus multitudo eum etiam haec studia profitentem faceret. Quum ad mores aliorum emendandos acumine uteretur dialecticorum et disserendi artem profiteretur, eandem rationem atque sophistae sequi putabatur. Neque enim multitudo Atheniensium artem dialecticam Socratis, quae est ars per notiones veri inveniendi ab artibus dicendi, quibus usi sunt sophistae, distinguebat 3), ars illa *μακρολογία* sophistam spirare videbatur. Ne ipsum quidem Socratem, qui factum sit, ut cum sophistis consociaretur, fugit. Narrat enim apud Platonem, se oraculo illo, quod Chaerephonti datum sit, sapientissimum declaratum, ut quid sibi vellet oraculum cognosceret, eos, qui sapientes esse viderentur, ad explorandam sapientiam adiisse. Ac primum quidem se ad viros rerum civilium peritos accessisse, deinde ad poetas, postremo ad artifices, sed intellexisse se, illos quidem putare se aliquid scire, quum nihil scirent, se autem ut nihil sciret, ita ne putare quidem se scire quidquam. Praeterea qui se assectarentur sua sponte adolescentes divites dare operam, ut alios more praeceptoris explorarent, qua quidem re magnum sibi odium contractum esse 4). Quid mirum, quod Socrates propter talem hominum explorandorum rationem sophistes esse dicebatur? Accedit, quod idem Plato Socratem apud iudices dicentem facit, se ut emendandis civium moribus semper vacaret, quaestum, rem familiarem, magistratus, contiones aliasque publicas res minime curasse et ob eam rem in maxima paupertate versari 5). Quae ratio ab Atheniensibus, qui in rebus publicis gerendis et re familiari augenda vitam collocarent, aliena erat. Quum igitur Socrates victu cultuque a consuetudine Atheniensium recederet juvenesque artem dialecticam et rhetoricam docere putaretur, comicis, qui omnino philosophiam leviter tantum habent cognitam, speciem sophistae praebuit. Tanta enim est inter comicos atque philosophos studiorum voluntatumque dissensio, ut natura ipsa animos eorum disjunctis videatur. Comici Socratem ignavum ac desidem civem esse putabant, qui a sophistis ceterisque philosophis nulla re differret, nisi quod, quum illi philosophando fallacibusque dicendi artibus magnas sibi divitias pararent, hic divitiis praeponeret egestatem. Nec vero ei, quod ex juvenibus

1) cf. Fischer: Charakterbilder II, p. 308 seqq.

2) Superioribus temporibus omnes, qui in aliquo litterarum genere versabantur, sophistas appellatos esse non ignoro. Sic Cratinus in Archilochis (cf. Meineke p. 8, 2) de poëtis antiquis dicit:

*ὄϊον σοφιστῶν σμῆνος ἀνειδιγῆσατε.*

3) cf. O. Müller: Gesch. d. Griech. Litt. II, p. 234. Bernhardt II, p. 984.

4) cf. Plat. Apol. c. 6—10.

5) Plat. Apol. c. IX, XXVI, Xenoph. Oec. II, 3.

illis ditissimis, qui ejus consuetudine ac disciplina utebantur, mercedem non exigebat, laudi ducebant, quamquam id quidem prohibuit, quominus eum, ut sophistas, in numero parasitorum haberent, sed ridebant eum, quod, quum omnibus rebus abundare posset, inopia laborare mallet. Errant enim, qui paupertatem apud Graecos honestam fuisse opinantur. Quid? quod homines non minus propter egestatem, quam propter naturae vitia male audiunt et mendici a comicis saepissime ridentur? Adde, quod Socrates etiam propter oris habitum Sileno haud dissimilem (Vid. Plat. Symp. c. XXXIX, Xenoph. Symp. IV, V) comoediae persona fuit aptissima.

Age vero, perlustremus judicia, quae comici veteres de Socrate tulerunt! Jam constat, Socratis quoque personam Amipsiam cavillatum esse in Conno, quam fabulam de judicum sententia medium locum inter Pytinem Cratini contentasque Nubes priores Aristophanis obtinuisse accepimus. Connus illum fidicinem eundemque citharoeum, qui Socratem senem fidibus docuit 1) et quamquam in numero Olympionicarum fuit, a comicis propter inopiam ridetur 2), nomen huic fabulae et argumentum suppeditasse, jam vidit Hemsterhusius ad Polluc. X. 171. Quantum vel e comoediae nomine vel e pauculis istis laceris reliquiis 3) colligere licet, Connus Amipsiae versatus est in doctiorum hominum, ut philosophorum, sacerdotum, vatum, artificum illudenda paupertate. Ex Athenaeo V, p. 218 c. cognoscimus, chorum apud Amipsiam e philosophis constitisse in contemplatione rerum meditationeque occupatis (*φροντισταῖς*). Quod quum ita sit, vix dubium est, quin inter chori personas etiam Socrates relatus sit. De Socrate igitur in scenam prodeunte duo, qui partes in hac fabula agunt, ut scribit Diogenes Laert. 4), hunc inter se sermonem habent:

*Σώκρατες ἀνδρῶν βέλυστ' ὀλίγων, πολλῶν δὲ ματαιόταθ' ἦκεις  
καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς καρτερικός τ' εἶ; πόθεν ἂν σοι χλαῖνα γένοιτο;*

B. *τοὐτὸ κακὸν τῶν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν γεγένηται.  
οὕτως μέντοι πεινῶν οὕτως οὐπώποτ' ἔτιλη κολαεῦσαι.*

Socrates igitur a poeta paucorum quidem virorum (nempe investigatorum) optimus, multorum autem vanissimus vocatur; adjungit, eum laboris esse patientem, pallio amictum, paenulam habere nullam, discalceatum esse, esurire vehementer nec tamen adulari more aliorum investigatorum. Vides, comicum, quamquam Socrati laudem quandam praeter ceteros sophistas tribuit, tamen studia ejus, quae summam egestatem a philosopho non cohibeant, ut vana atque inutilia perstringere. Sed haec de Conno Amipsiae hactenus.

De Eupolide apud schol. Arist. Nub. 96 leguntur haec:

*ἔπειτα Εὐπόλις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωκράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης ἐν ὄλαις ταῖς Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο.* Quaeritur, in qua potissimum fabula

1) cf. Plat. Menex. 380, Euthyd. p. 272 C. schol. ad Eq. 581, Cic. Epist. ad Fam. IX, 22, 3, Cat. Maj. c. 8, Maxim. Tyr. Dissert. XXII.

2) cf. Aristoph. Eq. 535, Vesp. 675, Meineke Qu. Sc. II, p. 44.

3) cf. Meineke Fragm. I, I, p. 403 seqq.

4) cf. Diog. L. II, 27 Ἀμειψίας δ' ἐν τρίβωνι παράγων αὐτόν φησιν οὕτως κ. τ. λ.

Eupolis Socratem tam vehementer perstrinxerit. Mihi quidem rem iterum iterumque mecum reputanti Fritzschi in Baptis etiam Socratem partes egisse suo jure contendere videtur 1). In Baptis enim Eupolis Alcibiadem ejusque socios nocturnis conviviis Cotyttiorum sacrorum turpitudinem et obscoenitatem imitantes foedissimisque libidinibus sese tradentes inducit. Jam vero satis notum erat, Socratem et Alcibiadem magna amicitia inter se esse conjunctos, quamobrem multitudo Atheniensium etiam Socratem, cujus disciplina Alcibiades uti videbatur, libidinum ejus atque facinorum participem esse falso existimavit. Testis est Xenophon, libidinum maculam Socrati falso adpersam fuisse. Immo quum Socrates consuetudine ac familiaritate juvenum formosorum delectaretur, quippe qui formosam animi speciem amaret, non corporis pulchritudinem, eum turpi puerorum amori indulgere pervulgata opinio erat, de qua quidem fama Socrates parum laborabat; quin etiam palam prae se ferebat: *παιδεραστής εἰμι καὶ σοφὸς τὰ ἔρωτικά* 2). Sed redeamus unde deflexit oratio, sive Socrates in Baptis choro additus lascivum baptam agebat, sive histrio in scena Baptarum flagitiis delectabatur, illud satis credibile est, maxima detrectandi Socratis opportunitate Eupolin tam impune tantaque licentia abusum esse, ut et libidinum maculam, quae Socrati adpersa erat, cupide ostenderet, et impietatem in deos, paupertatem extremasque nugae philosopho exprobraret, denique de Socrate turpem nebulonem et omnium vitiatorum sentinam quandam conviciis suis efficeret. Quae si recte sunt disputata, non dubito, quin Fritzschi tres locos, quos *Κόλαξιν* Eupolidis esse restituendos equidem diu putavi, suo jure ad Baptas rettulerit 3). Habet enim scholiasta ad Nubes v. 96 illud Eupolideum:

*Λεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν (ᾗδων)  
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν, οἰνοχόην ἔκλεψεν* 4).

Quod Socrates trullam surripuisse dicitur, Fr. A. Wolfius rem ita expedivisse sibi videbatur, ut furtum inter juvenilia Socratis vitia referret. (cf. Cic. de fato c. 5). Suevernius hunc locum et hujus similem, qui est Nub. v. 180 seq., quo loco Socrates vestem alienam 5) e palaestra vel si alteram scripturam sequeris, carnem victimae sustulisse dicitur, sic interpretatur, ut hanc comicorum consensionem ortam esse e sermone quodam hominum in urbe Athenis diu multumque agitato statuatur 6). Mihi et Eupolis et Aristophanes nihil aliud significare videntur, nisi Socratem, quum vanis studiis se dedat et rem familiarem negligat, non habere, quo famem toleret corpusque a calore ac frigore defendat, id quod ita augent atque exaggerant, ut philosophum, quae ad vitam necessaria sunt, jocosae furto sibi parantem inducant. Alter locus est hic:

*Μισῶ δὲ καὶ τὸν Σωκράτην, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην,  
ὃς τᾶλλα μὲν πεφρόνιζεν,  
ὁπόθεν δε καταφαγεῖν ἔχει, τοῦτου κατημέληκεν* 7).

1) cf. Fritzsche Quaest. Aristoph. p. 196—238.

2) cf. Plat. Symp. c. 38—44.

3) cf. Fritzsche l. l. p. 219 seqq.

4) Ita Meinekius locum corruptum emendavit. Fritzschi legendum esse statuit pro *τὴν ἐπίδειξιν* (in Mscr. deest verbum post *ἐπίδειξιν*) *τὴν ἐπιδέξι* (*ἐκπιών*). cf. Meineke l. l. p. 212, IX.

5) Alii Nub. v. 182 pro *Θοιμάτιον ὑφείλετο* legendum esse *Θυμάτιον* putant.

6) Süvern l. l. p. 17 seq.

7) cf. Meineke l. l. p. 212 X.

Tertio denique loco, quem servatum debemus Etym. M. p. 18, 8 Eupolis artem dialecticam Socratis notat. Verba sunt haec:

. . . ἀδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὃ σοφιστὰ 1).

Etiam jurisjurandi formulas, quae in mediis Baptarum fragmentis reperiuntur, Socratem sapiunt. Sunt haec: *ναὶ μὰ τὰς νόμους, ναὶ μὰ τὰς κράμβας, ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδαλῆν, ναὶ μὰ τὴν κράμβην*. Sed jam omittamus Eupolin.

Quod Socratis philosophia arsque dialectica in Euripidis tragoedias translatae sint et illi causa depravatae artis tragicae Euripidis tribuenda sit, non solum ab Aristophane 2), verum etiam ab aliis comicis Socrati vitio vertitur. Sic Callias et Euripidem et Socratem ridet in *Πεδήταις* fabula his verbis:

A. *Τί δὴ σὺ σεμνοῖ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα;*

B. *ἔξεσαι γὰρ μοι. Σωκράτης γὰρ αἴτιος 3).*

In eandem fere sententiam accipiendi sunt versus illi Teleclidae, qui satis corrupti ab auctore vitae Euripidis incerto et a Diogene Laert. II, 18 traduntur. Dindorfius hos versus sic restituit:

*Μνησίλοχός ἐστ' ἐκείνος, ὃς φρόγει τι δρᾶμα καινόν*

*Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτης τὰ φρόγαν' ὑποτίθησιν 4).*

Cavillatur comicus Euripidem, cujus tragoediae opera Mnesilochi et Socratis jejunae et aridae fiant 5).

Sequitur, ut de Nubibus Aristophanis paullo accuratius dicamus. Quod Aristophanes totam fabulam in Socratem scripsit, mirum videri non potest, quum Socrates, qui civis Atheniensis erat, unus omnium philosophorum notissimus esset et omnium sermone vapularet. Si quid conjectura augurari licet, non ita multo ante Nubes fabulam doctam Chaerephontem, qui cum ab aliis comicis, tum ab Aristophane vehementer perstringitur 6), Delphos oraculum consultum, num quis Socrate sapientior esset, profectum oraculi responsum, quo Socrates sapientissimus omnium hominum declaratus esse dicitur 7), in vulgus extulisse existimaverim. Quod si ita est, Aristophanem hanc occasionem Socratis ut principis sophistarum perstringendi arripuisse, nemo est, qui miretur. Id quidem inter omnes constat, Socratem jam eo tempore, quo Aristophanes Nubes docuit, nomen sapientis consecutum esse. Jam vero Aristophanes quum praeceptis singulorum philosophorum imbutus non esset neque paupertate Socratis et cultu habituque praetermissis iudicium publicum secutus discrimen inter Socratem et reliquum sophistarum gregem ac philo-

1) cf. Meineke l. I. p. 213 IX. Meinekius initio addendum esse *ἀλλ'* existimat, Fritzschius Phrynicho, qui vocem *ἀιδολεσχης* (ex *ἀΐδολεσχης*) commemorat, fidem habens legendum esse putat *ἀιδολεσχεῖν*.

2) cf. Ran. 1491 seqq.

3) cf. Diog. L. II. 18: Meineke, l. I. p. 419.

4) cf. Dindorf. Fragm. Arist. p. 23. Concedo in Meinekii sententiam, qui l. I. p. 135 hoc fragmentum ad Hesiodos, quae fabula in ridendis poëtis pravis esse versata videtur, revocandum esse iudicat.

5) Aliter hos versus interpretatus sum in commentatione mea de Arist. iudic. de summis suae aetatis tragicis p. 68. cf. Ritter: Didymi opusc. p. 105, Welcker. Gr. Trag. II, p. 454, Reisig: Praef. ad Nub. p. 8.

6) cf. Nub. 104, 145, 171, 504, 1465. Vesp. 1412, Av. 1563; Cratinus eum in Pytine ut *ἀνχηρόν καὶ πέννητα* ridet (cf. Meineke l. I. p. 45 XXII), Eupolis eum in Urbibus *πύξιον* (cf. fr. XXII), Aristophanes in Telmessensibus (fr. XIV) *συκοφάντην*, in Horis (fr. XV) *παῖδα νυκτός* vocat.

7) cf. Plat. Apol. c. 5, Xenoph. Apol. 14, Diog. L. II, 37, Schol. Arist. Nub. v. 144.

sophorum nosset, adulteratam Socratis personam eadem licentia comica, qua personam Cleonis in Equitibus, Euripidis in Ranis depravavit, in scenam induxit. Ut Cleon in Equitibus omnium scelerum ac facinorum, quae a pravis populi ducibus commissa esse dicebantur, poenas dat, in Euripidem autem omnium errorum et vitiorum, quae in artem poëticam illius aetatis irrepserant, culpa in Ranis confertur eique ut sophistae et concionatori atque assentatori populi causa earum rerum, quae secundum pugnam ad Arginusas factam inciderunt, quarum auctores Theramenes, Archidamus, alii fuerunt 1), delegatur, ita etiam Aristophanes Socrati, ut persona comica de eo fiat, omnia fere philosophorum illius temporis praecepta, quae per ora hominum ferebantur, depravata et in ridiculum detorta injungit. Quod ut probemus, singula persequamur.

Strepsiades, homo rusticus, quum aere alieno, quod profusa luxuria et uxoris nobili gente ortae et filii, qui amore tamquam insanit equorum pretiosorum, contraxit, prematur neque hac cura anxius somnum capere possit, artes quaerit, quibus aere alieno liberari possit. Tandem rationem sui ex omnibus difficultatibus expediendi reperisse sibi videtur. Petit enim a Phidippide filio, ut officinam Socratis adeat ibique artes fallaces dicendi discat. Dicit de ea officina v. 94 seqq.

*Ψυχῶν σοφῶν τοῦτ' ἐστὶ φρονησθήριον.  
ἐνταῦθ' ἐνοικοῦς' ἄνδρες, οἱ τὸν οὐρανὸν  
λέγοντες ἀναπέθουσιν ὡς ἐστὶν πνιγέες,  
κάσιν περὶ ἡμᾶς οὔτις, ἡμεῖς δ' ἄνθρωποι.  
οὔτις διδάσκουσ', ἀργύριον ἢ τις διδῶ,  
λέγοντα νικᾶν καὶ δίκαια κάδικα.*

Facile intellexeris, Strepsiadem hoc loco non solum in artem illam, quam Socrates ipse exercuit, animos investigandi atque explorandi joculari (cf. Av. v. 1555 *ψυχαγωγεῖ Σωκράτης*), sed etiam sententias physicorum, veluti Xenophanis et Anaxagorae 2), pro ingenio suo in ridiculum detortas et artes sophistarum in eum transferre 3). Ceterum tantum abest, ut Aristophanes Socratem mercede juvenes docere opinatus sit, ut philosophum fame laborantem fingat, quo fit, ut Strepsiades v. 1131 Socrati ad famem levandam saccum farinae donet. Neque obstat, quod Hyperbolus v. 876 talento soluto artem dicendi didicisse dicitur, quum ne Aristophanes quidem Hyperbolum Socratis disciplina usum esse affirmet. Strepsiades Socratem et discipulos ejus v. 102 *μερμηνοφρονηστὰς καλοῦς τε κάγαθούς* vocat, Phidippides, quod corporis habitum atque cultum omnino negligant rebusque vanis vacent, *πονηρούς, ἀλαζόνας, ὀχρηῶντας, ἀνυποδήτους* 4). Ridet praeter Socratem imprimis Chaerephontem v. 104. Strepsiades autem filium de Socraticis docet v. 112:

1) cf. Xenophon Hell. I. c. 6 — c. 8, Diod. XIII, c. 99—102. Arist. judic. de summis suae aet. trag. p. 54—61.

2) cf. Plut. Plac. phil. II, 13, Plat. Phaed. p. 199, B. Aristoph. Av. 1000.

3) cf. Diog. L. II, 27, Xenoph. Symp. I, 5. Plat. Euthyd. p. 304 C.

4) cf. Xenoph. Mem. I, 6, 2. Plat. Phaedr. 229 a.

εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὸ λόγῳ,  
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστί, καὶ τὸν ἥτιονα.  
τούτων τὸν ἕτερον τοῖν λόγων, τὸν ἥτιονα,  
νικᾶν λέγοντά φασι τὰδικιώτερα.

Hoc loco Socraticos sophistis, quales erant Protagoras, Gorgias, Thrasymachus, Hippias, Prodicus, qui docere se profitebantur, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset 1), aggregari, nemo est, quin videat. Jam vero quum Strepsiades filium frustra oret, ut ad injustum Sermonem, quo aere alieno liberetur, cognoscendum Socratem adeat, ipse in ejus disciplinam se tradere constituit, quamquam prope desperat fore, ut scindulas verborum et subtilitatem dicendi (λόγων ἀκριβῶν σκινδαλάμους καὶ λεπτολογίας) discat. Strepsiadi fores officinae Socraticae vehementer pulsanti discipulus procax januam aperit, indignatus quod pulsando a cogitando avocatus tamquam abortum fecerit (καὶ φρονιδ' ἐξήμβλωκας ἐξευρημένην), qua voce comicus cum artem illam *μαιευτικήν*, tum matris Socratis conditionem tangere videtur. Postquam Strepsiades discipulo dixit, se Socratis disciplinam aditurum esse, hic ei arcana scholae enuntiat. Narrat enim, Chaerephontem jussu Socratis investigasse, quot pedes pulicis pulex saliat et utrum culex ore an podice sonos edat 2). Apparet comicum tali modo res minutissimas ac vanissimas philosophorum, mathematicorum, physicorum ridere. Docet etiam discipulus, Socratem iter et circuitum lunae investigare et in astronomiam, geometriam, geographiam incumbere 3), quamquam satis constat, non Socratem, sed sophistas, ut Hippium, his studiis imbutos fuisse 4). Summa autem Socratis astutia in eo cernitur, quod, ut sibi discipulisque epulae sint, per dolum partem carnis victimae aufert 5). Qua re cognita Strepsiades discipulum orat atque obsecrat, ut se ad Socratem ducat. Janua aperta Socraticos videt pallidos illos plerosque ac semimortuos, ex quorum corporis habitu conjicere licet, eos ne a monstruosis quidem libidinibus abhorrere. Subterranea investigare dicuntur (v. 193 *ἐρεβοδιφῶσιν ὑπὸ τὸν Τάρταρον* 6). Tandem Socrates in scenam prodit, non ille quidem Socrates, qui est in Platonis et Xenophontis libris, qui gymnasia, forum locaque publica petit, ut cum juvenibus sermones faciat et unicuique copiam secum colloquendi faciat, sed Socrates Aristophaneus senex morosus ac difficilis est, squaloris atque illuviei plenus, inverecunda fronte, procacitate insignis. In taberna sua inclusus philosophus pallidus a ventulo omni se tuetur; fame, inopia, cimicibus se vexari facile patitur. In corbe pensili versans inania captat et rebus coelestibus explorandis intentus homines mortales (*ἐφημέρους*) despicit. Ipse Strepsiadi, quid agat inter coelum terramque pendens, interroganti respondet v. 225: *ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον*. In rebus coelestibus explorandis occupatum se, quod summa affinitas sit menti et aëri, sublimem ferri docet 7), id quod in philosophos Jonicos illos, Anaximenem et Anaxagoram, qui animum

1) cf. Aristot. Rhet. II, 24, Diog. L. IX, 52, Cic. Brut. 8, 30, Gell. N. A. V, 37.

2) cf. Nub. v. 145. 157 seq.

3) cf. Nub. 172, 194, 201, 1507.

4) cf. Plat. Prot. p. 318 G, Xen. Mem. IV, 7, 2—6. Zeller, Philos. d. Griech. II, 1, s. 93 seq. I, 766.

5) Thierschii sententiam probo, qui v. 179 pro *ἐκ τῆς παλαίστρας θοιμάτιον ὑφέλιετο* legendum esse statuit *ἐκ τῆς τραπέζης θυμάτιον ὑφέλιετο* cf. Teuffel ad h. l.

6) cf. 187, 193.

7) cf. v. 228—234.

ἀεροειδέα vocitabant 5), quadrare apparet. Strepsiadēs autem quum subtilia physico-  
rum decreta parum intellegat, a Socrate petit, ut se injustum sermonem (τὸν λόγον  
τὸν μηδὲν ἀποδιδόντα) doceat. Cum vero per omnes deos juret, se Socrati pretium  
operae soluturum, cognoscit, vulgi deos nullos esse, sed sapientium deos esse aërem,  
aethera, Nubes, linguam, spiritum, chaos 2). Tum vero Strepsiadēs corona capiti im-  
posita in sella camicum plena sedens a Socrate antistite tamquam mysteriis sapientiae  
initiat, ut fiat τριμίμα, κρόταλον, παιπάλη 3). Simul Nubes deae ἀνδρῶν ἀργῶν inania  
studia philosophorum significantes invocantur, ut appareant, quippe quae artes dialecticas  
praebeant (γνώμη, διάλεξις, νοῦν, τερατείαν, περιλέξις, κροῦσιν, κατέληψιν 4). Alunt Socratem  
sociosque ejus, sophistas, quibus adnumerantur vates, pharmacopolae, homines vani  
atque inepti, poetae dithyramborum, qui novum chordarum genus acceperunt, rerum  
coelestium investigatores, denique omnes homines desides atque otiosi. (Θουριομάντιες,  
ἰατροτέχναι, σφραγιδοῦν χαρτοκομήται, κνκίλων τε χορῶν ἄσματοκάμπται, ἄνδρες μετεωρο-  
φέναιες, οὐδὲν δρῶντες ἀργοί 5). Nubes chorum efficiētes Socratem λεπιοτάτων λή-  
ρων ἱερέα et μετεωροσοφιστήν vocant 6). Socratem clarissimum sophistam a multitu-  
dine habitum esse, Nubes ridicule testantur, affirmantes, se praeter Prodicum Socrati  
soli obtemperare 7). Cur Socrati obsequantur, his verbis profitentur v. 362. seq.:

ὅτι βρενθύνει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τῷ φθαλμῷ παραβάλλεις  
κάννυπόδητος κατὰ πολλ' ἀνέχει, κάφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.

Continentiam illam Socratis et patientiam laborum, famis, sitis, frigoris, calo-  
ris cavillaturus Aristophanes chorum haec apud Strepsiadem verba facientem inducit  
v. 412. seq.:

ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμίας σοφίας ὦνθρωπε παρ' ἡμῶν,  
ὡς εὐδαίμων ἐν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς Ἑλλήσι γενήσῃ,  
εἰ μνήμων εἶ καὶ φρονιστής, καὶ τὸ ταλαίπωρον ἔνεστιν  
ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ μὴ κάμνεις μήθ' ἐστὼς μήτε βαδίζων 8)  
μήτε διγῶν ἄχθει λίαν, μήτ' ἀριστῶν ἐπιθυμεῖς,  
οἴνου τ' ἀπέχει καὶ γυμνασίων καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων,  
καὶ βέλυστον τοῦτο νομίζεις, ὅπερ εἰκὸς δεξιὸν ἄνδρα,  
νικῶν πρῶτων καὶ βουλευῶν καὶ τῇ γλώττῃ πολεμίζων.

Vides, ex natura comoediae vera ubique cum falsis confundi.

Ubi igitur Socrates Strepsiadem Jovem non esse docuit et originem pluviae,  
fulminum, tonitruum physicorum et sophistarum ratione exposuit 9), hic nihil antiquius  
habet, quam ut jus torquere discat (στρεψοδικῆσαι καὶ τὸν ἐς χρήστας διολισθεῖν), quod  
ut discat, ad omnes labores ac mala subeunda paratus est 10). Jam Socrates ingenium

1) cf. Plut. Plac. phil. IV, 3, I, 3. Alexi: Anaxagoras und seine Philos., nach Simplic. ad Aristot.  
p. 6, 7. (Progr. Neu-Ruppin).

2) Nub. 247, 264, 424, 627. Ran. 893. 3) cf. Nub. 262. seq. 4) cf. Nub. v. 315—323.

5) Nub. v. 331. seq. 6) Nub. 359, 360. 7) cf. v. 361.

8) cf. Xen. Mem. I, 2, 1; Plat. Symp. 220, B.

9) cf. Nub. 368—411; Anaxag. ap. Diog. L. II, 9; Prodic. ap. Sext. Empir. adv. Phys. c. 2; Plat.  
Leg. XII, p. 967 A, Plut. Nic., c. 23.

10) cf. Nub. 434, 438—457.

atque indoles Strepsiadis explorat, ad quae rationem eum instituendi atque erudiendi accommodet, quo facto Strepsiadem pallium abjicere iubetur, ut Socratem in interiorem officinae partem subsequatur 1). Postquam chorus parabasi illa ad spectatores verba fecit, Socrates cum Strepsiaide pallido, quem nimis indocilem esse queritur, ex interiore domo redit. Nec vero eum statim dimittit, sed eum in illis artibus, quae dialecticam tamquam praecedere videntur, erudit 2), ut in arte metrica et rhythmica, quam poëtas dithyramborum et sophistas docuisse constat, in arte grammatica (*ῥοδοπεία*), cui Prodicum, Hippiam, Protagoram operam navasse memoriae proditum est 3). Socrates Strepsiadem vult *ἀλεκτρούαναν*, non *ἀλεκτρούνα*, et *τὴν καρδόπηγν* vel *τὸν κάρδοπον*, non *τὴν κάρδοπον* dicere. Cum vero Strepsiadem, quamquam pecuniam, colorem, calceamentum amisit, nihil fere ex subtilissimis illis praeceptis et dialecticis artibus intelligere, neque *νοῦν* illum *ἀποστερητικὸν* 4) reperire possit, chorus Strepsiaidi, qui *τὸ γλωπιοστροφεῖν* 5) frustra conatus est discere, suadet, ut Phidippidem filium Socrati erudiendum tradat; Socratem adhortatur, ut stultitiam Strepsiadis in sua commoda convertat 6). Strepsiadem discedit, ut filium ad Socratem adducat.

Strepsiadem igitur apud Socratem nihil didicit, nisi deos patrios contemnere, et opinionem deorum obsoletam Phidippidis irridet (v. 821 *φρονεῖς ἀρχαϊκά* 7). Socraticos narrat parsimonia ductos nec tonsori operam dare nec capillos recidere nec lavatum ire in balneas 8). Ridet quoque filium, quod *ἀλεκτρούνα*, non *ἀλεκτρούαναν* et *ἀλέκτορα* dicat 9). Jam quum filius ex patre, ubi pallium et calceos amiserit, quaerit, se ea in artis dialecticae studiis absumsisse ridicule fatetur 10). Invitus tandem Phidippides se ad Socratem, qui adventum ejus captat, deduci patitur, praedicens fore ut patrem eius rei poeniteat 11). Postquam Socrates primo Phidippidem propter latitudinem verborum risit, a Strepsiaide admonitus utrumque Sermonem, et justum et injustum, in scenam prodire jubet, quorum uterque coram Phidippide suam causam defendit. Justus Sermo (*δικαίος λόγος*) personam senis incultis moribus indutus patrocinium causae justae et bonorum temporum superiorum suscipit, injustus (*ἀδικος λόγος*) personam sophistae inepti et luxuriosi gerens injustam causam et novam sentiendi et agendi rationem novamque educationem defendit, qua quidem re comicus docere videtur, etiam Socratis praecepta rationemque sentiendi patriis moribus non minus repugnare, quam sophistarum. Injustus Sermo arrogantem, protervum impudentemque sese praebet, artibus sophistarum (*δηματίοις καινοῖς καὶ διανοίαις καὶ γνωμαῖς*) se justo superiorem fore confidit. Justus igitur Sermo severam maiorum disciplinam rationemque educandi, qua ii, qui apud Marathonem summam consecuti sunt laudem, usi sint, copiosius exponit, ex qua effici modestiam, pudicitiam, verecundiam, pietatem in parentes, summam morum integritatem, bonam valetudinem, patientiam laborum, amorem veteris artis musicae mollibus modorum flexionibus Phrynidis contrariae, taedium artium forensium sophistarum. Contra quae injustus Sermo novos mores de-

1) cf. Nub. v. 510.

2) cf. Nub. 638—700.

3) Aristoteles Rhet. III, 5 de Protagora refert haec: *τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διήρει ἄρδρα καὶ θήλεα καὶ σκευή* cf. Aristot. Soph. El. c. 14; Plat. Euthyd. p. 277. E., Zeller l. 1. I, p. 787.

4) cf. 728. sq.

5) cf. 792.

6) cf. 810 sq.

7) cf. Nub. v. 814—825.

8) cf. Nub. 835 seq. Av. 1282.

9) cf. v. 846—852.

10) cf. v. 856—864.

11) Nub. v. 865.

pravatos vitamque luxuriosam ac libidinosam exemplo Jovis allato defendit. Jam vero quum justus Sermo ab injusto admonitus spectatores circumspexit et ingentem eorum multitudinem pravis moribus libidinibusque, quorum patrocinium adversarius eius suscepit, deditam esse cognoverit, inferior aufugit 1). Quo facto Phidippides a Socrate ipso artem dialecticam discit. Quamobrem Socrates Strepsiadem, qui saccum farinae supportat, docet, Phidippidem facultatem obtinendi quamlibet causam vel sexcentis testibus obstantibus assecutum esse. Strepsiades gaudio elatus cum Phidippide pallido et artium sophistarum perito (dicitur *ἐξαρηνηκός καὶ ἀνυλογικός*) domum redit filio epulum daturus. Paratus ad omnia abjuranda et artibus filii fretus Pasiam et Amyntiam creditores ut homines stultos stolidosque, quippe qui nesciant dicendum esse „*ἡ καρδόπη*“ nec de rebus coelestibus quidquam habeant cognitum, per ludibrium loris repellit 2) Brevi autem post Phidippides artes sophistarum in ipsum patrem convertit, a quo carmen quoddam Simonidis vel ex Aeschyli fabulis sumptum canere jussus, quum id facere recusaverit et incestum carmen ex Euripidis (*τοῦ σωφωτάτου*) Aeolo sumptum cecinerit, jurgio facto patrem verberat. Conclusiunculis fallacibus sibi patrem verberare licitum esse demonstrare studet; ut enim pater ipsum puerum caritate benevolentiae ductus verberaverit, sic hanc benevolentiam patri se referre, quum praesertim senes repuerascent, neque sibi minus licitum esse novas leges ferre, quam majoribus. Simili fere captione jus matris verberandae vindicat 3). Sunt, qui putent, comicum his locis in praecepta quaedam Socratis 4), quibus filiis conditionibus certis patrem vinctum tenere liceat, joculari, sed Aristophanes, si quid video, nihil aliud significat, nisi juvenes eruditione ac disciplina philosophorum institutos parentibus majores et meliores sibi videri et tantos spiritus sumere, ut omnem pietatem in parentes abjiciant. Phidippides nullius nisi Socratis auctoritatem magni aestimat 5) Quo fit, ut Strepsiades, veriora et meliora cognoscat et sophistas *ἀδολέσχας* et *ἀλαζόνας* esse intelligat 6). Quamobrem officinae illi Socratis et Chaerephontis ignem subjicit.

Praeter Nubes Aristophanes Socratem in Avibus, quam fabulam novem annis post Nubes actas docuit, ridet, quod corporis habitum ac cultum mirum in modum negligat et animis explorandis tempus perdat. Verba chori sunt haec:

*πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσι λί-  
μνη τις ἔστ', ἄλοντος οὐ  
ψυχαγωγεῖ Σωκράτης.*

Etiam hoc loco cum Socrate consociatur Chaerephon ἢ *νυκτερίς* 7). Socratis sordidam paupertatem poeta his quoque verbis ridet 8):

*ἐκόμων, ἐπείνων, ἐρρύπων, ἐσωκράτων.*

Postremo comicus Socratis studia ut inania atque inutilia in Ranis ridet 9), quam fabulam Ol. XCIII, 3 doctam esse constat.

Restat, ut, quae ratio intercedat inter Nubes priores et posteriores, brevissime exponamus. Argumentum, quod in libris sexto loco positum legitur, scriptum est his

1) Nub. v. 961—1104.

2) Nub. 1214—1304.

3) cf. Nub. 1320 seqq.

4) cf. Xen. Mem. I, 2, 9; II, 2.

5) Nub. v. 1432.

6) cf. Nub. 1485, 1493.

7) Av. 1552—1563.

8) Av. 1282.

9) Ran. v. 1490 seqq.

ipsis verbis: Τοῦτο ταῦτόν ἐσσι τῷ προτέρῳ· διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀνα-  
 διδάξει μὲν ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἣν ποτε αἰτίαν ποιή-  
 σαντος· καθόλου μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη ἢ διόρθωσις· τὰ μὲν γὰρ  
 περιήρηται, τὰ δὲ παραπέλεκται, καὶ ἐν τῇ τάξει καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ  
 μετεσχημάσται· ἃ δὲ ὀλοσχερῆ τῆς διασκευῆς τοιαῦτα ὄντα τετύχηκεν 1). ἀντίκα ἢ μὲν  
 παράβασις τοῦ χοροῦ ἡμειπται, καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ, καὶ  
 τελένταιον, ὅπου καίεται ἢ διατριβῇ Σωκράτους. Quibus verbis auctoris haud con-  
 temnendi, qui priores Nubes, quas etiam Eratosthenes, Diogenes Laertius,  
 Athenaeus habuisse cognitatas videntur 2), cum posterioribus contulisse putandus  
 est, si fidem habemus, vix dubitare possumus, quin prioribus Nubibus idem fere  
 argumentum atque secundis fuerit et Aristophanes Nubes priores ita retractave-  
 rit atque correxerit, ut correctio (διόρθωσις) quidem singulorum versuum, quae  
 singulis verbis et versibus vel additis vel demtis vel immutatis et personarum ordine  
 mutato conspicua sit, ad totam fabulam pertineat, paucae autem partes omnino et ex  
 omnibus numeris retractatae sint (τῆς διασκευῆς τετύχηκεν). Apparet quoque ex verbis,  
 quae attulimus, Aristophanem sententia scholiastae voluisse quidem Nubes docere re-  
 tractatas ac correctas, neque eo secius tamen quacunque demum de causa id praeter-  
 misisse. Quae si ita sunt, noli mirari, quod Aristophanes etiam consilio Nubium  
 fabulae per singulos locos retractandae destitit multique versus ex prioribus in secun-  
 das Nubes irrepserunt 3), quo fit, ut haud pauci versus parum inter se cohaereant 4).  
 Sic locus ille, quo vita horrida atque inculta Socratis ridetur, Nubibus secundis, in  
 quibus justus Sermo hujus similem vivendi rationem praedicat, parum convenit. Suo  
 jure Teuffelius versus 700—706, 731—739, 746, 1105—1130 prioribus Nubibus, ver-  
 sus 112—114, 694—699, 707—730, 740—745 secundis tribuit. Parabasin omnino  
 retractatam esse, primo quasi aspectu vides, neque versus 565—594 contra Teuffelium  
 et Buechlerum prioribus Nubibus abjudicare dubito. Nec minus constat, certamen  
 illud utriusque Sermonis Nubibus illis, quas docuit Aristophanes, defuisse, exitum  
 autem fabulae omnino retractatum fuisse, testatur scholiasta. Quamobrem Aristopha-  
 nes praecipue alteram partem fabulae a v. 882 usque ad v. extremum excepto illo  
 loco, qui est a v. 1214—1302, retractandam suscepisse mihi quidem videtur. Argu-  
 mento vero priores Nubes et posteriores haud multum inter se distinctas fuisse, etiam  
 ex Apologia Platonis 5), qui doctam fabulam respicit, intelligi potest. Jam vero si  
 Nubes priores, id quod Fritzschius vult, a secundis omnino diversae fuissent, quis  
 pauculas tantum reliquias eius fabulae, quae una omnium maxime legentium animos  
 argumento tenebat, ad hanc aetatem perventuras fuisse putaret? Attamen contem-  
 plantibus nobis et reliquias istas et verba auctoris argumenti, quod attulimus, conjicere

1) Fortasse legendum est: ἔστων ἃ (s. ἔσσι δὲ ἃ) ὀλοσχερῶς τῆς διασκευῆς τετύχηκεν.

2) cf. schol. Nub. 552. Teuffel. Arist. Wolken p. 21. sq. Rhein. Mus. X, p. 214 sq., Bücheler  
 in Jahn's Jahrb. 1861, p. 680 sq. — Aliter Fritzschius de hac re judicat Quaest. Arist. p. 139 sq.

3) cf. Fritzsche: De fabulis ab Arist. retractatis (Rostock 1849) I, p. 4—16, Teuffel l. l. Bücheler l.  
 I, p. 671. sq.

4) cf. v. 189, 491, 636, 694, 718, 731, 785, 790, 803, 804—813.

5) cf. Apol. c. 7.

licet, quales Nubes priores fuerint. Ac primum quidem Aristophanes in Nubibus prioribus multo fusius in ridendis Socraticis discipulis esse versatus videtur, quam in Nubibus secundis, quippe quum vitiis discipulorum cavillaturus esset magistrum. Lulentissimo enim animo sententiam Fritzschi Socraticos, Alcibiadem, Critiam, Theramenem, Chaerephontem, Euripidem, alios in scenam singulos productos vel in officina illa (*φρονιστήριον*) Socraticis oculis spectatorum subjectos coram populo recensitos esse censentis amplector. Quam sententiam ut probemus, adducimur loco illo e parabasi Vesparum petito vv. 1037—1043, ubi poëta de injuria anno ante (i. e. Nubibus doctis) sibi facta cum populo Atheniensi expostulat. Istos Socraticos primum patres avosque suffocasse et multos atque innocentes cives in jus vocatos fortunis evertisse, queritur poëta. Discipulum Socratici Strepsiadi Euripidem in *φρονιστήριον* tragoediis scribendis occupatum monstrasse, colligi potest ex fragmento illo, quod Diogenes L. II, 5, 18 servavit:

*Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγωδίας ποιῶν  
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφὰς,  
τὰς σοκρατογόμφους 1).*

Quid enim festivius, quam in juvenes Socraticos subito reponi Euripidem jam virum et eum bene barbatum, qui in studium sapientiae una cum Socrate incumberebat et mutuo amore tantopere cum eo conjungebatur, ut unus factus esse videretur ex duobus? Etiam Chaerephontem, qui in posteriore fabula nihil dicit omnino, nisi haec v. 1505:

*ἐγὼ δὲ κακοδαίμων γε κατακαυθήσομαι*

in priore suas quasdam easque magnas partes egisse, satis probabile est, praesertim quum ejus etiam in nostris Nubibus mentio fiat 2). Socraticos vero ita inductos esse, ut monstruosis libidinibus et foedo puerorum amoris terribisque flagitiis sese darent, ex fragmento illo, quod Photius p. 428, 27 et Suidas s. v. *πηρίον* servarunt, colligam. Verba sunt haec: *κείσεσθον ὥσπερ πηρίω κινουμένω*, (Suidas *βινουμένω* praebet). Addit Photius: *σκόπτει τοὺς περὶ Χαιρεφώνια*. Jam si Suidam sequimur, verba significant haec: jacebitis sicuti duo culices, qui coeunt 3).

Omnibus juvenibus otio luxurque diffluentibus comicus secundum scholiastam Venetum Pacis v. 348 Phormionem integerrimum illum hominem eumque laboribus maximis adsuefactum videtur opposuisse 4). Juvenes eos *ἡπίλους* a comico vocatos esse, cognoscimus ex scholiasta Vesp. 1038. Strepsiadem etiam in Nubibus prioribus mysteriis sapientiae initiatum esse, significant haec verba ab Athenaeo XI, p. 479 servata: *Μηδὲ στέψω κοτυλίσκον*. Quod vero Aristophanes in parabasi gloriatur, secundas Nubes prioribus eo praestare, quod in illis phallo locus non concedatur 5), Strep-

1) Fritzschi, qui hanc scripturam praebet, sequor, Meineckius et Dindorfius hunc locum Teleclidae vindicare conantur. cf. Bücheler. I. I. p. 680.

2) cf. v. 104, 144, 156, 831, 1465.

3) Facere non possum, quin a Buechlero, qui his verbis significari, Socratem et Chaerephontem exente fabula a Strepsiade et Xanthia verberatos esse censet, omnino dissentiam. Obstant verba et Photii et Suidae.

4) cf. Meineke I. I. p. 300. IV.

5) cf. Nub. 537—539.

siadem primum a Socrate ita institutum esse, ut tempus res philosopho dignas secum meditandi, quod in secundis Nubibus cimicibus arcendis terit, foedissimis flagitiis et pollutionibus falleret, conjicere licet, praesertim si scholiastae Nub. v. 734 rationem habes. Socratem et discipulos eius etiam in Nubibus prioribus in rebus coelestibus et subterraneis cognoscendis tempus collocasse, docet praeter Platonem (Apol. c. 3) scholiasta Pac. 92, qui in Nubibus philosophos *μειωρολέσχας* dici affirmat. Strepsiadis Socratem monentis, ut filium, nisi sapientiae studiosus sit, verberibus castiget, verba *ζημιώσασθαι* et *κόλασμα*, quae Antiatticista p. 98, 1 et p. 105, 2 servavit, videntur fuisse 1). Neque vero Phidippides in Nubibus I producto utroque Sermone eruditus atque institutus est, sed Socrates ipse eum artes sophistarum et res coelestes ac subterraneas ridiculum in modum docuisse videtur. Chorum Nubium ad extremum iratum et ad rectius iudicium adductum abiisse in montes Atticae, collegerim ex hisce Photii p. 398, 11 verbis:

*Ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦσαι κατὰ τὸν Ἀγκαθητιόν.*

Nec dubitari potest, quin Strepsiades, quamquam sub exitum fabulae officinam Socratis incendio delevisse non videtur, in aliam sententiam adductus sit.

Quae si reputaveris, Socratem in prioribus Nubibus multo crudelius atque asperius, quam in secundis, tractatum esse facile intellexeris. Quid vero? quod poëta, se Cratino et Amipsiae pospositum esse indignatus, ut rationem Socratem tamquam *ἀρχέννον* philosophi vanissimis rebus deditum in scenam inducendi redderet, Nubes retractasse videtur? Equidem puto Aristophanem utrumque Sermonem ob nullam aliam causam produxisse, nisi ut doceret, Socratis disciplina, quamvis ab aliis philosophis differret, iuventutem a moribus majorum non minus abalienari, quam sophistarum aliorumque philosophorum, quamquam eruditissimum quemque cum philosophorum doctrina ac ratione agendi conspirare eum non fugit, id quod justus Sermo ridicule ita significat, ut plerosque spectatores *εὐρυπράκιους* esse dicat. Quae si recte disputata sunt, equidem Aristophanem ne agitasse quidem consilium Nubes iterum docendi recte contendere mihi videor.

Ceterum philosophi per longum tempus multitudini speciem praebuerunt ridiculam, quo factum est, ut etiam poëtae mediae comoediae, qui a rebus publicis perstringendis omnino abstinebant, discipulos Socratis, ut Platonem et Academicos 2), vehementissime riderent. Menandri demum aetate philosophis, ut multitudo praeceptorum philosophorum intelligens esset, contigit, quamobrem poëtae novae comoediae res e media philosophia petitas evulgare non dubitarunt 3).

1) Fritzschius l. l. p. 168 *ζημιώσασθαι* scripsit.

2) cf. Diog. L. III, 22. (Cobet. III, 26.)

3) Copiosius de hac re disserui in comm. de Arist. iudicio etc. p. 72.

# I. Allgemeine Lehrverfassung.

## Prima.

Ordinarius: Gymnasial-Oberlehrer Dr. Peters.

1. **Religionslehre.** a) Kathol: Aus der speciellen Dogmatik die Lehre von der Heiligung und Vollendung. Aus der Ethik die Lehre vom Principe, den objektiven und subjektiven Grundbedingungen des sittlich Guten, vom sittlich Guten und Bösen im Allgemeinen. 1 St. Aus der Kirchengeschichte die letzte Periode von 1517 bis in die neueste Zeit. 1 St. Flöckner.

b) Evangel. 1 St. Lektüre des neuen Testaments im griechischen Texte. Evangel. des Lucas, mit eingehender Erklärung schwieriger Stellen und erbaulicher Auslegung. 1 St. Glaubenslehre. Lehre von Gott und dem Menschen, im Anschlusse an die Confessio Augustana Pasch.

2. **Deutsch.** 3 St. a) Geschichte der deutschen Litteratur seit Opitz, verb. mit Lektüre zahlreicher Musterstücke aus Bone II. b) Die Elemente der empirischen Psychologie. c) Wiederholungen aus der Logik, sowie aus der Rhetorik und Poetik. d) Dispositionirungen. e) Korrektur der vierwöchentlichen Aufsätze. f) Examinatorien über die Privatlektüre. Dr. Peters.

3. **Latein.** 3 St. Uebersetzung und lateinische Erklärung von Cic. Tuscul. Disp. I, Privatim lasen die Schüler Salust's Jugurtha. 1 St. Mündliche Uebersetzung aus dem Deutschen ins Lateinische nach Kämpf's Aufgaben, mit der Kontrolle der Privatlektüre abwechselnd, — 1 St. wurde bald zur Korrektur Lateinischer Extemporalien und Exercitien bestimmt, bald auf die Extemporalien lateinischer Texte verwendet. 1 St. Censur der lateinischen Aufsätze. Der Direktor.

2 St. Horat. Carm. I. III. IV. Serm. I., 1 und 9. Dr. Peters.

**Griechisch.** 3 St. a) Platon. Apologia Socratis und Crito. b) Grammatik. Die Lehre vom Gebrauche der Modi, vom Infinitiv, den Participial-Construktionen und Partikeln. c) Korrektur der zweiwöchentlichen Extemporalien und häuslichen Uebungen. Dr. Peters.

2 St. Lektüre von Sophokles Antigone. Memorirt wurde die Parodos. 1 St. Homer's Ilias III. IV. V. Privatim lasen die Schüler XVI. XVII. XVIII. 2 St. Der Direktor.

5. **Französisch.** 2 St. a) Gelesen wurde aus dem Handbuch von R. A. Menzel 1) Frédéric Ancillon, Sermon sur le Jubilé séculaire de la m. Pr., p. 1—16; 2) Staël-Holstein, p. 53—54; 3) Chateaubriand, p. 127—148; 4) Pradt, p. 226—230; 5) Ségur der Aeltere, p. 271—279. — b) Grammatische Repetitionen. c) Korrektur der drei- oder vierwöchentlichen Extemporalien und häuslichen Arbeiten. Dr. Franke.

6. **Hebräisch.** Gelegentliche Wiederholungen aus der Laut- und Formenlehre. Die wichtigsten Notizen aus der Syntax. 1 St. In der andern Stunde Uebungen im Vokalisiren unpunktirter Texte, im Uebersetzen aus dem Neuen Testamente ins Hebräische und Korrektur der häuslichen und Klausur-Arbeiten. Gelesen wurde prov. III; Kohel. XI. XII; Hiob VII. XXIX; Jes. I. und V. Flöckner.

7. **Geschichte und Geographie.** 3 St. a) Geschichte der neueren Zeit; b) Wiederholung der griechischen und römischen Geschichte; c) Geographische Wiederholungen im Anschlusse an den geschichtl. Unterricht. Dr. Franke.

8. **Mathematik.** Geometrie. 2 St. Von der Pyramide bis zu Ende. Konstruktionsaufgaben. Arithmetik. 2 St. Kettenbrüche. Wiederholung und Einübung alles Vorgetragenen an Beispielen. Alle vier Wochen eine schriftliche Arbeit. Dr. Fiebig.
9. **Physik.** 2. St. Wärme, Magnetismus und Electricität. Das Wichtigste aus der Chemie nach Trappe's Schulphysik. Dr. Fiebig.
10. **Zeichnen.** 1. St. Komb. mit Secunda und Tertia. Vermehrte Uebungen im Freihandzeichnen nach Vorlegeblättern. Lodahl.
11. **Singen.** 1 St. Im vierstimmigen Chor comb. mit den bessern Sängern aller Klassen a) Chöre und Motetten, sowie vierst. Lieder von verschiedenen Componisten; b) Kirchenmusik: Messen und Offertorien von Schnabel, Hahn, Bröer, Giblinger, Führer. Klose.

## Secunda.

Ordinarius: Gymnasial-Oberlehrer Dr. **Gotschlich.**

1. **Religion.** a) Kathol. Die Einleitung in die Schriften des N. T. Beweis der Geschichtlichkeit und Göttlichkeit der christlichen Offenbarung und die Lehre von der Kirche, als der Stellvertreterin Christi in seinem dreifachen Amte. 1 St. Aus der Kirchengeschichte der zweite Zeitraum vom Jahre 800—1517. Eine größere schriftliche Arbeit. 1 St. Flöckner.
- b) Evangel. Combinirt mit Prima. j. Prima. Pasch.
2. **Deutsch.** a) 1 St. Uebungen im Disponiren; freie Vorträge; Korrektur der vierwöchentlichen Aufsätze. b) 1 St. Poetik; gelesen wurden prosaische Musterstücke aus Bone's Lesebuch, Theile des Niebelungenliedes, Göthe's Hermann und Dorothea, einzelne lyrische Gedichte und Schiller's Wilhelm Tell. Dr. Gotschlich.
3. **Latin.** 8 St. a) Livius l. XXI. XXII. 1—8; 44—54. Privatim Caesar de b. Gall. VII, de b. civ. I; außerdem lasen die Schüler der IIa. Cicero de amicitia. b) Grammatik nach Schulz §. 405—428, §. 239—318. c) Mündliche Uebersetzungen nach Kämpf. Wöchentliche Korrektur der Exercitien und Extemporalien. Anfänge freier Arbeiten. Dr. Peters.
- c) 2 St. Verg. Aen. l. II. und VI. 1—627. Dr. Gotschlich.
4. **Griechisch.** 6 St. a) 2 St. Grammatik. Wiederholung der Kasuslehre und die Syntax des Verbuns. Uebungen im Uebersetzen nach Franke. Exercitien und Extemporalien. b) 2 St. Xenoph. Hell. I. und Herod. VII, cap. 1—53; privatim: Xenoph. Anab. III. und Hell. II, 1 und 2. Dr. Gotschlich.
- 2 St. Homer's Odyssee VII, VIII, IX. Der Direktor.
5. **Französisch.** 2 St. a) Les Martyrs par Chateaubriand. Zweite Hälfte. b) Grammatik. 1) Formenlehre. Von den Adverbien, Präpositionen, Konjunktionen, Interjectionen. 2) Syntax. Die Lehre vom Gebrauche der Artikel, von den Kasuszeichen, vom Adjektiv, von den Fürwörtern. Korrektur der dreiwöchentlichen schriftlichen Arbeiten. Dr. Albrecht.
6. **Hebräisch.** Lautlehre. 1. St. Die Verballehre ausführlich, die Nominallehre in ihren Grundzügen. Daneben im Winter-Semester Korrektur der monatlichen, schriftlichen Arbeiten. 1 St. Lesung und grammatische Analysis von I. Mos. XXXVII; I. Mos. XXXIX, und I. Mos. XL. Flöckner.
7. **Geschichte und Geographie.** 3 St. a) Römische Geschichte bis zum Untergange des weströmischen Reiches; b) Wiederholungen aus dem Gebiete der orientalischen und griechischen Geschichte; c) Geographie der unter der römischen Herrschaft vereinigten Länder. Dr. Franke.
8. **Mathematik.** Geometrie. 2 St. Proportionalität gerader Linien, Aehnlichkeit, dann Trigonometrie nach Rambly. Konstruktionsaufgaben. Arithmetik 2 St. Logarithmen, quadratische Gleichungen nach Rambly. Alle vier Wochen eine schriftliche Arbeit. Dr. Fiebig.
9. **Physik.** 1 St. Statik, Hydrostatik, Aerostatik, Anfang der Akustik nach Trappe's Schulphysik. Dr. Fiebig.
10. **Zeichnen.** 1 St. Komb. mit Prima und Tertia. S. diese. Lodahl.
11. **Singen.** 1 St. Vierstimmiger Chor, wie bei Prima. Klose.

## Ober-Tertia.

Ordinarius: Gymnasial-Lehrer Dr. Wachendorf.

1. **Religionslehre.** a) Kathol. Im Winter-Semester zuerst Uebersetzung und Erklärung der gebräuchlichsten lateinischen Kirchenhymnen; dann Lehre von der Gnade und den Gnademitteln. 1 St. Die christliche Kirchengeschichte in Biographien. 1 St. Flöckner.

b) Evangel. Kombiniert mit Unter-Tertia und Quarta. 1 St. Bibelfkenntniß. Die poetischen Bücher des Alten Testaments. Psalmen und Hiob wurden nach Inhalt und Form besprochen; einzelne Psalmen gelesen und gelernt. 1 St. Christliche Heilslehre mit Bedeutung des III, IV und V Hauptstücks des Katechismus. — Die nöthigen Kirchenlieder wurden zum Memoriren aufgegeben und wiederholt.

2. **Deutsch.** 2 St. Erklärung poetischer und prosaischer Musterstücke nach Remacli. Uebungen im Deklamiren. Korrektur der häuslichen Aufsätze und Klassenarbeiten.

Dr. Wachendorf.

3. **Latein.** 8 St. a) Caes. de bell. Gall. Lib. III, IV und VI, de bell. civ. I. Privatim de bell. Gall. V und VII. b) Grammatik. Die Lehre vom Gebrauch der temp. und modi. c) Korrektur der Extemporalien und Exercitien.

c) Dichter. Gelesen wurden Ovid Metam. VIII 157—884, IX 1—272, XI 410—748, XIII 399—575, 732—897.

Dr. Wachendorf.

4. **Griechisch.** 6 St. Abschluß der Formenlehre. Die Lehre vom Gebrauche der Kasus. Uebungen im Uebersetzen nach Enger. Korrektur der Extemporalien und Exercitien. Gelesen wurden: Xenoph. Anab. Lib. I. cap. IV. — Lib. II, Lib III, — cap. IV. Hom. Od. V und VI.

Dr. Wachendorf.

5. **Französisch.** 2 St. Lektüre. Histoire de Charles XII., par Voltaire liv. IV, V. b) Grammatik. Die unregelmäßigen Verben; die Lehre vom Gebrauche der Artikel, der Kasuszeichen und vom Adjektiv. c) Korrektur der vierzehntägigen schriftlichen Uebungen.

Dr. Peters.

6. **Geschichte und Geographie.** 3 St. Deutsche Geschichte. Geographie der europ. Staaten.

Dr. Wachendorf.

7. **Mathematik.** Geometrie im Winter 1 St., im Sommer 2 St. Kamby's Planimetrie 3 ter und 4 ter Abschnitt. Arithmetik im Winter 2 St., im Sommer 1 St. Kamby's Arithmetik §§. 40—57. Alle vier Wochen eine schriftliche Arbeit.

Vor Ostern Dr. Gerndt, nach Ostern Dr. Siebig.

8. **Naturgeschichte.** 2 St. Klassen und Ordnungen der Mineralien. Systematische Uebersicht aller drei Naturreiche.

Dr. Siebig.

9. **Zeichnen.** 1 St. Komb. mit Prima und Secunda. S. diese. Lodahl.

10. **Singen.** 1 Stunde wie bei Prima.

Klose.

## Unter-Tertia.

Ordinarius: Gymnasial-Lehrer Dr. Franke.

1. **Religionslehre.** a) Kathol. Kombiniert mit Ober-Tertia. Flöckner.  
b) Evangel. S. Ober-Tertia.

2. **Deutsch.** 2 St. Erklärung poetischer und prosaischer Musterstücke, Uebungen im Deklamiren. Korrektur der wöchentlichen häuslichen Aufsätze und Klassenarbeiten. Dr. Franke.

3. **Latein.** a) Grammatik. 4 St. Wiederholung der Kasuslehre, die Lehre vom Gebrauche der Tempora und Modi. b) Caes. de bello gall. lib. III, IV, V, privatim Nepos; 3 St. c) Korrektur der wöchentlichen Exercitien und Extemporalien. 1 St. Dr. Franke.

d) Ovid Metam. II, 1—328; III, 1—1137; V, 34—571; VI, 146—312. Einige Stellen wurden memorirt. Dr. Gottschlich.

4. **Griechisch.** 2 St. Xenophon Anabasis I, 1—5.

Vor Ostern Plange, nach Ostern Dr. Peters.

1 St. Hom. Odyss. I 1—178, memorirt 1—50. 3 St. a) Repetition des vorjährigen Pensums, Fortführung der Formenlehre bis zu den Verbb. anom. b) Uebersetzungsübungen nach Enger. c) Korrektur der Extemporalien u. Exercitien.

Vor Ostern Plange, dann König.

5. **Französisch.** a) 1. St. Lektüre: Histoire de Charles XII, par Voltaire, I, II und V mit Auswahl. b) 1 St. Grammatik: Wiederholung der regelmäßigen Formenlehre und des unregelmäßigen Verbum. Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in's Französische nach Probst. Exercitien und Extemporalien. Dr. Gottschlich.

6) **Geschichte und Geographie.** 3 St. a) Römische Geschichte bis zur Völkerwanderung; b) Wiederholung der orientalischen und griechischen Geschichte; c) Geographie von Europa, specieller von Deutschland und Italien. Dr. Franke.

7. **Mathematik.** Geometrie im Winter 1 St., im Sommer 2 St. Rambly's Planimetrie §§. 60—111. Arithmetik im Winter 2 St., im Sommer 1 St. Rambly's Arithmetik §§. 23—40. Schriftliche Haus- und Klassen-Arbeiten im Anschluß an das Vorgetragene. Dr. Fiebig.

8. **Naturgeschichte.** 2 St. Klassen und Ordnungen des Thierreichs. Linne's Pflanzen-system. Dr. Fiebig.

9. **Zeichnen.** 1 St. Kombiniert mit Prima, Sekunda und Ober-Tertia. Lodahl.

10. **Singen.** 1 St. wie bei Prima.

Klose.

## Quarta.

Ordinarius: Cötus A. Gymnasial-Oberlehrer Dr. Schuppe.

Cötus B. Gymnasial-Lehrer König.

1. **Religion.** a) Kathol. Cötus A. u. B. kombiniert. In der einen Stunde Wiederholung des Katechismus und Lebensgeschichte Jesu; in der andern Darstellung des katholischen Kultus u. Lektüre v. Thomas a Kempis de imit. Christi lib. I, cap. 1—20. Flöckner. b) Evangel. Kombiniert mit Tertia. Pasch.

2. **Deutsch.** 2 St. a) Erklärung poetischer und prosaischer Musterstücke. b) Deklamationen. c) Korrektur der schriftlichen Arbeiten.

Cötus A. Dr. Schuppe. Cötus B. König.

3. **Latein.** 10 St. a) Nepos: Miltiades, Themistocles, Aristides, Pausanias, Cimon, Lysander, Alcibiades, Thrasybulus, Conon. b) Wiederholung der Formenlehre; Lehre von der Kongruenz und dem Gebrauch der Kasus, Korrektur der wöchentlichen Exercitien oder Extemporalien. Dr. Schuppe.

Cötus B. a) Nepos: Epaminondas, Pelopidas, Agesilaus, Eumenes, Phocion, Timoleon. Extemporirt Aristides, Lysander, Thrasybulus, memorirt Agesilaus, Timoleon. b) Einiges aus der Tempus- und Moduslehre, die Lehre über die Participien; sonst wie Cötus A. König.

4. **Griechisch.** 6 St. Formenlehre bis zum verb. liquid. Uebungen nach Enger. — Korrektur der schriftlichen Arbeiten. Dr. Schuppe.

5. **Französisch.** 2 St. Das Wichtigste aus der Formenlehre und Uebungen im Lesen und Uebersetzen nach der Borschule von Probst. Dr. Schuppe.

6. **Geschichte und Geographie.** Geschichte der orientalischen Völker und der Griechen. Geographie von Griechenland, dann von Asien, Amerika, Afrika und Australien.

Cötus A.

Cötus B.

Vor Ostern König; nach Ostern Dr. Albrecht.

König.

7. **Mathematik.** 3 St. Die Planimetrie bis zur Kongruenz der Dreiecke incl. nach Rambly's Leitfaden §§. 1—61. Arithmetik: Dezimalbrüche. Allgemeine Prozent- u. Zinsrechnung.

Bröckerhoff.

8. **Zeichnen.** 2 St. Cötus A. Fortsetzung der Elemente des perspektivischen Zeichnens, so wie Uebungen im Freihand- und Linearzeichnen nach Vorlegeblättern. Cötus B. 2 St. C. Cötus A.

Lodahl.

9. **Singen.** a) Intervalle, Tonarten, ein- und zweistimmige Lieder. b) Uebungen im vierstimmigen Chor, wie bei Prima.

Rloje.

## Quinta.

**Ordinarius:** Cötus A. Vor Ostern Gymnasial-Lehrer **Plange**; nach Ostern Gymnasial-Hülfslehrer Dr. **Gerndt**. Cötus B. Gymnasial-Lehrer **Bröckerhoff**.

1. **Religionslehre.** a) Kathol. Cötus A. und B. wurden kombinirt. In 2 Stunden Lehre vom Dekalog, von der Gnade und den Sakramenten, nach dem Diözesan-Katechismus; in der dritten biblische Geschichte von den Zeiten der Richter bis zur Geburt Christi.

Flöckner.

b) Evangel. Komb. mit Sert. 1 St. Katechismuslehre. Die Sittenlehre wurde auf Grund des ersten Hauptst. des Katechismus vollendet und der Wortlaut des zweiten Hauptstücks eingepägt; Kirchenlied und Bibelspruch memorirt. — 1 St. Biblische Geschichte. Altes Testament. Geschichte der Richter, Saul's und David's. In den Festzeiten wurde die Geschichte des Lebens Jesu behandelt.

Pasch.

2. **Deutsch.** 2 St. Leseübungen; Erläuterung (und Memorirung) poetischer und prosaischer Musterstücke, Uebungen im Erzählen, Lehre vom einfachen und zusammengesetzten Satze, Korrektur der zweiwöchentlichen häuslichen- und Klassenarbeiten.

In jedem Cötus der Ordinarius.

3. **Latein.** 10 St. a) Wiederholung und Vervollständigung der Formenlehre. b) Einzelne Regeln aus der Kasuslehre, Acc. c. Inf., Particip., Abl. abs. c) Uebersetzungsübungen nach Schulz (§§. 48—117). d) Korrektur der wöchentlichen Exercitien und Extemporalien.

In jedem Cötus der Ordinarius.

4. **Französisch.** 3 St. Aussprache, Konjugation der Hülfswörter avoir und être, das Substantiv, Adjektiv, die Zahlwörter und Fürwörter; Einprägung der Vokabeln; Korrektur der vierzehntägigen schriftlichen Arbeiten.

Cötus A. Dr. Gerndt; Cötus B. König.

5. **Geographie.** 2 St. Physikalische und politische Geographie der europäischen Staaten, besonders Deutschlands und Preußens.

Cötus A. Lodahl; Cötus B. Dr. Albrecht.

6. **Rechnen.** 3 St. wöchentlich. Regeldetri mit ganzen Zahlen. Die Lehre von den gewöhnlichen Brüchen; Regeldetri in Brüchen und zusammengesetzte Regeldetri. Mündliche Uebungen und schriftliche Arbeiten nach Schellen's Rechenbuch, 2te Abtheilung §§. 1—9; 1ste Abtheilung §§. 16—23; 2te Abtheilung §§. 10—15 und 17.

Cötus A. Henkel; Cötus B. Bröckerhoff.

7. **Naturgeschichte.** 2 St. Zoologie im Winter; Botanik, das Linne'sche System, verbunden mit Demonstrationen.

In jedem Cötus Dr. Gerndt.

8. **Schreiben.** 3 St. 2 St. Uebungen im Schönschreiben, 1 St. im Schön- und Schnellschreiben und Uebung der griechischen Buchstaben.

Lodahl.

9. **Zeichnen.** 2 St. Die ersten Elemente des perspektivischen Zeichnens in Verbindung mit Freihandzeichnen nach Vorlegeblättern. Cötus B. 2 St. S. Cötus A. Lodahl.
9. **Singen.** 2 St. Beide Cötus komb. a) Versetzungszeichen, Triole, Taktarten; ein- und zweistimmige Lieder; b) im vierstimmigen Chor, wie bei Prima. Klose.

## Sexta.

**Ordinarius: Cötus A. Gymnasial-Hülfslehrer Henkel.**  
**Cötus B. Gymnasial-Lehrer Dr. Albrecht.**

1. **Religionslehre.** a) Kathol. Cötus A. und B. kombiniert. In 2 Stunden Erläuterung des apostolischen Glaubens-Bekenntnisses nach dem Diöcesan-Katechismus, in der dritten Geschichte des alten Bundes bis zu den Zeiten des Richterthums. Flöckner.  
 b) Evangel. S. Quinta Pasch.
2. **Deutsch.** 2 Stunden wöchentlich. Erklärung von Gedichten und Lesestücken aus dem Lesebuche von Remachy. Memoriren und Deklamation von Gedichten. Behandlung der Redetheile und Analyse des einfachen und erweiterten Satzes. Alle vierzehn Tage eine schriftliche Arbeit zur Uebung in der Orthographie. In jedem Cötus der Ordinarius.
3. **Latin.** 10 St. wöchentlich. Die Lehre von den Buchstaben, die Declinationen, Adjektiva, Numeralia, Pronomina und die regelmäßigen Verba nach Schulz' Schulgrammatik §§. 1—105. Memoriren von Vokabeln und Uebersetzen der entsprechenden Stücke aus Schulz' Uebungsbuch. Wöchentliche schriftliche häusliche Arbeiten und Extemporalien. In jedem Cötus der Ordinarius.
